

actus alterius virtutis, dum imperatur formaliter ab actu formali charitatis tunc existenti, non redditur formaliter meritorius vite aeternae per praedictum actum formalem charitatis: quia proxima ratio condignificandi talem actum non est ipse actus formalis charitatis, qui extrinsece se habet ad actum (v. g.) humilitatis, sed quaedam virtus illius ab eo decisa in habitu humilitatis: nam commune est virtuti imperanti imprimere virtuti imperatae suum participium, ex quo resultat, in actu imperato reperiri intrinsece duplicem bonitatem, aliam ex virtute imperata, & aliam ex virtute imperante, medio illius participio virtuali. Et hinc provenit, in actu humilitatis imperato ab actu formali charitatis reperiri duplex meritum, aliud in ordine ad premium accidentale ratione propriae bonitatis: & alterum in ordine ad premium essentiale ratione bonitatis intrinsecae charitatis, quod supponit aliud excellentius in actu formali charitatis imperanti.

79 Notandum est tertio, quod sicut minimum actus formalis charitatis, dum existit, est sufficiens ad condignificandum cum vita aeterna quemlibet praestantissimum actum alterius virtutis, non solum secundum se, sed etiam ut vestitum qualibet circumstantia intensiois, durationis &c. ita participatio illius, quae consistit in modo recepto in potentijs, & virtutibus, sufficit etiam ad condignificandum illum: idem enim, proportione servata, dicendum est de modo charitatis, qui est participatio habitus, vel actus charitatis, ac de ipso actu, & charitate. Nec trepidandum est, quod quantumvis valor meritorius crescat ratione praedicti modi per modum formae, & ratione bonitatis moralis per modum materiae, adaequet in valore meritorio minimum actum formalem charitatis, propter dicta primo notabilia.

80 Notandum est quarto, quod sicut bonitas moralis potest crescere ratione perfectioris bonitatis specifice, vel ratione durationis, aut intensiois intra eandem bonitatem specificam; ita relatio actualis charitatis procedens a modo illius residente in potentia, seu virtute crescit ad incrementum illius. Nam, ut docet Div. Thom. 3. dil. 27. quest. 2. art. 4. quaestione 3. ad 5. agens de hac specie, seu re: *Inferiora participant perfectionem superiorum secundum modum suum: Ideo participationes determinantur in participantibus ex capacitate, & natura participantium.* Quo modo autem haec relatio crescat ex continuatione actus, facile percipitur ex continuatione maiori actus formalis charitatis. Non ita facile percipitur, dum idem actus augetur intensive, vel in actu perfectioris virtutis, ceteris paribus. Nec clare constat, an relationes in diversis specie actibus, vel in duobus eiusdem speciei, distinctis tamen penes maiorem, & maiorem intensio-

nem distinguantur specie, vel numero. Neque etiam constat, quomodo possit idem: modus charitatis residens a principio iustificatiois in habitu humilitatis infundere in maiorem, & maiorem relationem in infinitum iuxta maiorem, & maiorem intensioem ipsius actus humilitatis. Ne inferatur inesse modo praedicto vim simpliciter infinitam: sicut adesse in charitate, si absque aliqua additione posset producere actus se excedentes in intensioe usque in infinitum syncathegorematicae. Pro quorum explicatioe:

81 Notandum est quinto, relationem huiusmodi procedentem a modo habituali charitatis residente in humilitatis habitu intendi posse dupliciter, vel formaliter, vel tantum virtualiter. Formaliter intenditur, dum aliquid physicum realiter distinctum ei superadditur, & hoc pacto intenditur calor ut quatuor, si intendatur usque ad octo. Virtualiter intenditur, quando nihil physicum ei superadditur, sed eadem manens magis explicat ob maiorem capacitatem subiecti suam vim informativam, quam habet in se quasi implicatam in alio actu imperfectiori, vel secundum speciem, vel secundum intensioem. Cui doctrinae conducit, quod diximus in notabili tertio, & quarto. Quod, ut intellectu fiat perceptibile, potest explicari iuxta modum gravium Thomistarum, assentium intensioem qualitatis non fieri per additionem gradus ad gradum, neque per additionem alicuius modi realiter distincti cum destructione praesentis, sed per quandam additionem virtutalem, quatenus qualitas magis explicat suam vim informativam, quam antea habebat in se quasi implicatam, & obvolutam ob minorem capacitatem subiecti. Potest etiam explicari exemplo animae rationalis, quae in viro explicat magis suam vim informativam, quam in puero ex defectu materiae: necnon exemplo quantitatis, quae connotans, velut dispositioem, maiorem raritatem explicat vim ad occupandum maiorem locum, quam involutam habet in se, esse non supponat tantam raritatem.

Hinc facile percipitur, quo pacto relatio in Deum vel habitualis in habitibus, & potentijs, vel actualis in actibus, in perfectiori seu intensiori sit intensior & perfectior, conducens aut ad maius meritum; & in minus perfecto aut intenso sit minus perfecta aut intensa, & conducens ad minus meritum. Et non minus facile percipiuntur caetera, quae in praecedenti notabili videbantur primo aspectu difficilia, ut perpendenti constabit, nec pro his opus est aliquid addere.

82 His igitur praenotatis: Ad argumentum, respondetur distinguendo maiorem: non augetur meritum, nisi augetur charitas intensive, vel extensive, concedo maiorem; intensive, subdistingo: intensive formaliter, nego maiorem; inten-

intensive virtualiter, concedo maiorem. Et distincta minori eodem modo, negari debet consequentia. Quocirca diversum iudicium quoad meritum vite aeternae ferendum est de maiori merito desumpto ex maiori duratione actus v. g. humilitatis, ac de maiori merito desumpto ex maiori intensioe eiusdem, vel ex maiori perfectione alterius actus. Nam meritum primi generis solum crescit extensive: ad quod sufficit, quod relatio charitatis in Deum absque ulla intensioe, sive formali, sive virtuali continetur. Adsumendum augetur intensive non physice, sed tantum moraliter, hoc est in aestimatione prudentum: quia revera idem actus formalis charitatis ut duo continuatus per unam horam maiorem aestimabilitatem habet quoad premium vite aeternae, quam durans per unum instans, & quam duo actus charitatis ut duo distincti intra eandem horam, vel nullus inficiabitur. Meritum vero secundi generis crescit intensive: sicut enim intensive crescit bonitas moralis, opus est, quod relatio charitatis crescat etiam intensive. Et cum non appareat caput, unde possit intendi formaliter, satis erit quod augetur virtualiter: quia quilibet ex tribus modis enumeratis augendi relationem sufficiens est ad hoc, ut tota ratio formalis merendi de condigno vitam aeternam reducatur vnicè ad charitatem. Per quod constat ad utramque probationem.

83 Arguitur secundo, Nam si charitas esset ratio tota merendi praemium essentiale, sequeretur, quod Petrus v. g. cum actu charitatis ut octo distribuens omnia bona sua pauperibus, & profectus strictissimam religionem, & vivens per sexaginta annos laudabiliter in ea, exercendo ex charitate ut decem excellentia opera virtutum, & tandem ex eadem morus patiens martyrium pro fide, non meretur maiorem gloriam essentialem, quam Paulus durans in gratia tantum per unam horam, & eliciens in ea unum opus charitatis ut decem; hoc videtur inconveniens, tum quia videtur multum derogare meritis iustorum: tum quia frustra cohortarentur fideles ad eliciendos actus aliarum virtutum intuitu meriti de condigno vite aeternae: ergo fallum est, quod tota ratio formalis merendi praemium essentiale sita sit in charitate.

Confirmatur. Nam demus hypothesim, quod vnus homo iustificatur medio actu charitatis ut duo, & statim moriatur, & alius iustificatur in sacramento cum sola attritione, & durans in gratia per viginti annos exercet plura opera aliarum virtutum, puta fidei, spei, religionis, misericordiae &c. in hac hypothesi quis dubitabit, quod posterior consequetur maiorem gloriam, quam prior? siquidem prius non meretur nisi gloriam ut duo, & indubitabile videtur, quod posterior per tot annos mereatur

maiores gloriam: ergo ratio formalis merendi non est vnicè charitas, sed etiam bonitas aliarum virtutum.

Hoc argumentum cum confirmatione iuxta nostrum modum dicendi hucusque explicatum omni difficultate vacat: quia actus charitatis ut octo continuus (v. g.) per unam horam magis meritorius gloriae essentialis est, quam actus charitatis ut decem durans praecise per unum instans, cum meritum non debeat pensari praecise ex maiori intensioe formali charitatis, sed etiam ex maiori duratione, alijsque capitibus, ex quibus in merito potest crescere maior aestimabilitas moralis. ¶ Ad quod accedit, quod ille, qui operatur cum charitate ut octo opera adeo praecleara, & per tantum tempus continuata, non solum mereatur gloriam essentialiaem per primum actum charitatis, sed per eundem pluries repetitum, ut in hypothesi supponitur, necnon separatim per opera aliarum virtutum in vi ordinationis virtualis intrinsecae derivata ab actu charitatis, iuxta dicta num. 78. Unde non erit mirum, quod cum actus charitatis ut decem, quem eliceret Paulus, tantum excedat in duobus gradibus actum charitatis ut octo, quem eliceret Petrus, adaequet, immo excedat moraliter meritum illius meriti illius. Quin ex hoc possit argui rationem formalem merendi consistere in morali bonitate aliarum virtutum, sed in actibus charitatis magis continuatis, etsi minus intensis, & in relatione illius virtualis intrinsecae divagata per actus aliarum virtutum. Ideoque iusti merito debent cohortari ad adhibendos actus omnium virtutum intuitu maioris meriti. *Quibus addit:* utramque hypothesim esse moraliter impossibiles: quia, ut docet D. Thom. 2. 2. quest. 23. art. 2. nulla virtus habet tantam inclinationem in suum actum, sicut charitas, ideoque diu otiosa stare non potest, & ad imperandum regulariter difficiles actus aliarum virtutum adest maior, & robustior. Per quod satis constat ad argumentum.

Ad confirmationem responderetur (quid quid sit, quod vnus, vel alter magis mereatur) certum esse in via D. Thom. quod sicut in iustificato, medio actu charitatis ut duo, tota ratio merendi vitam aeternam est ipse actus, ut persè patet, ita in iustificato cum sola attritione, & postea eliciente plures actus aliarum virtutum, est relatio virtualis charitatis. Quis vero ex duobus contentis in illa hypothesi magis absolute mereatur, non tam attinet ad nos, quam ad Deum, qui spiritu, & meritorum est ponderator. Nos vero inclinamus in favorem posterioris, propter dicta in confirmatione: Nam licet nullum opus adhuc excellentissimum alterius virtutis caeteris paribus, hoc est intensioem, duratione &c. adaequet valorem actus formalis charitatis, iuxta regulam D. Thom. adductam num. 77. aestimabilitas tamen moralis meritoria

potest crescere in infinitum syncathegorematicè ex prædictis capitibus, & alijs: ideoque non erit mirum, si posterior adæquet, immo excedat priorem in merito præzantij essentialis.

84 Arguitur tertio. Nam fides est ratio formalis, immò & potior ratio merendi: ergo charitas non est tota ratio formalis merendi. Antecedens probatur: nam charitas, cum sit virtus volitiva, nequit influere in aliquam operationem nisi media directione intellectus, scilicet fidei, iuxta illud axioma, *Nihil volitum, quin præcognitum*, & sic contingit in naturalibus, & in divinis; sed facta collatione inter intellectum, & voluntatem, potior est influxus intellectus quam voluntatis: ergo potior est influxus fidei ad merendum quam charitatis.

Et confirmatur. Quia illa est potior ratio formalis, & absoluta merendi, quæ est potior ratio ordinandi omnes actus in ultimum finem; sed ordinare actus aliarum virtutum ad ultimum finem potius competit fidei, quam charitati: quia ordinare est proprium opus intellectus, & propere tract. 5. disp. 1. dub. 1. docuimus prædeterminationem, quæ est directio & ordinatio prædeterminationum ad gloriam, consistere essentialiter & in recto in actu intellectus, & non in actu voluntatis: ergo.

Ad argumentum, respondetur negando antecedens. Et ad eius probationem dicendum est, aliud esse charitatem non posse influere formaliter, aut virtualiter nisi prævio influxu formali, aut virtuali fidei; aliud verò, quòd ex hoc inferatur esse rationem formalem, & potiozem merendi. Primum est verum: ex quo tantum debet colligi influxum fidei ad meritum se habere per modum conditionis, quòd libenter concedimus. Ad secundum est falsum: siquidem fides, secundum id quòd habet intra propriam lineam, nequit attingere villo modo Deum sub ratione ultimi finis, & ordinatio ad illum est tota ratio formalis merendi vitam æternam. Et quoad hoc idem contingit in naturalibus, & in divinis: quidquid sit, quòd influxus intellectus quoad alia, & absolute sit potior quam influxus voluntatis.

Ad confirmationem respondetur, quòd ordinare stat dupliciter: nam aliud est propriè tale, & hoc affert secum conferre vnum cum alio: aliud verò tantum importat meram attingentiam alicuius obiecti extranei ex vi alicuius participationis impressæ à virtute propria illius obiecti. Inter hos modos hæc est differentia, quòd primus est solius intellectus; posterior verò etiam potest competere voluntati, eiusque habitibus. Ratio formalis merendi non est alia præter attingentiam Dei ultimi finis: & quamvis fidei, utpote virtus intellectualis, sit proprium ordinare priori modo, adhuc nequit conferre actus aliarum virtutum, nec proprium actum cum vita æterna, prout hæc collatio im-

portat attingentiam Dei ultimi finis, & super omnia dilecti nisi ex participatione virtuali charitatis, ideoque nequit esse ratio formalis merendi. Videantur dicta loco in confirmatione allegato.

S. VIII.

Argumenta contra ultimam assertionem.

85 **A**Dversus ultimam assertionem arguitur primò: Nam actus fidei elicitus in instanti iustificationis, v.g. in B. Virgine, & in Angelo, non fuit meritorius: ergo non omnes actus hominis iusti sunt meritorij vite æternæ, estò sint boni moraliter. Antecedens probatur: nam actus huiusmodi tunc non ordinatur adhuc virtualiter ad Deum ultimum finem, estò procedat à gratia; sed nullus actus carens prædicta ordinatione est meritorius vite æternæ saltem de condigno: ergo actus fidei elicitus in primo instanti iustificationis non est meritorius de condigno vite æternæ. Maior probatur: nam si prædictus actus in prædicto instanti ordinaretur virtualiter in Deum ultimum finem, vel esset, quia procedit à fide formata charitate, vel quia imperatur ab actu charitatis; neutrum dici potest: ergo huiusmodi actus non ordinatur adhuc virtualiter in Deum ultimum finem. Minor probatur quoad primam partem: nam habitus fidei prius dimanat à gratia quam charitas, sicut ab anima prius dimanat intellectus quam voluntas, & in Christo prius dimanavit lumen gloriæ quam charitas: ergo actus fidei non supponit fidem formatam charitate, sicut nec intellectus supponitur formati voluntate, nec lumen gloriæ in Christo charitate. Quoad secundam partem etiam ostenditur: nam actus fidei est prior quam actus charitatis, sicut visio beata in Christo est prior quam actus charitatis, sed ob hanc rationem visio beata non imperatur à charitate: ergo nec actus fidei in primo instanti iustificationis, v.g. in B. Virgine, & in Angelo.

Ad hoc argumentum, respondetur, actum fidei in primo instanti iustificationis, v.g. in B. Virgine, & in Angelo, utroque titulo ordinatum fuisse in Deum ultimum finem saltem virtualiter. Imprimis ordinabatur, prout procedebat à fide formata per charitatem: nam licet fides secundum suam entitatem intelligeretur dimanata prius pro aliquo signo quam charitas, cum hoc fiat, quòd in eodem instanti dimanaverint à charitate omnes modi, quibus omnes potentia, & virtutes informantur ab ea, & quòd hæc informatio habitualis fidei pro alio signo antevetat influxum in proprium actum: & hæc de causa actus fidei in casu proposito procedit à fide formata charitate. Idem potest dici de lumine gloriæ in Christo, ut possit verificari nihil

esse in Christo, aut alio beato, quòd non sit propter Deum summè dilectum, ly *propter* dicente causam finalitèr *causis gratia*: quamvis non debeat sua disparitas inter actum fidei, & eius habitum, ac inter lumen gloriæ, & visionem, quam proximè explicabimus. Alia ratio est de intellectu relatè ad voluntatem: quia voluntas non est forma intellectus, sicut charitas est forma fidei, sed potius e contra, ut docet D. Thom. 1. 2. quæst. 19. art. 1. quòd persuadet tum nobilitas intellectus: tum quia voluntas solum potest dici forma intellectus, dum hic movetur ad operandum liberè, & quandoque operatur necessariò.

Deinde actus fidei ordinatur in Deum virtualiter, prout in primo instanti iustificationis imperatur ab actu formali charitatis, quia ita est prior actu charitatis, quòd etiam sit posterior illo secundum aliquam formalitatem: non enim repugnat mutua prioritas inter duos actus secundam diversas formalitates, ut videri possunt, quæ diximus tract. 9. disp. 2. num. 9. & locis ibi citatis. Et doctrina ibi tradita fortius viget in præsentibus: siquidem actus fidei fuit liber saltem quoad exercitium tam in B. Virgine, quam in Angelo, & libertas formalis intellectus essentialiter dependet à libertate voluntatis: opus ergo erat, quòd actus fidei imperaretur ab aliquo actu voluntatis. Et nullus congruentior potest assignari, quam actus charitatis in illo primo instanti existentis: tum quia sicut voluntas est potentia universalis libera nature intellectualis, ita charitas est virtus universalis gratia præstituta voluntati ultimum finem, ad quem gratia connaturaliter, & essentialiter inclinatur: tum quia ex parte voluntatis actus charitatis fuit primus liber, & in eius præsentia superfluit alia quævis pia affectio, quæ moveat ad actum fidei. Alia ratio est de visione beata (ut sic aperiamus disparitatem, quam promissimus) nam visio beata est omnino necessaria nullo modo subiecta imperio voluntatis, & ita omnibus modis est prior actu voluntatis: unde non mirum, quòd ex hoc capite non ordinetur in Deum ultimum finem. Quomodo cohereat, quòd actus fidei regulat, & dirigat actum charitatis, & iterum ab actu charitatis dependeat in prima sui elicientia, satis constat ex dictis loco proximè relato, & præcipue alijs ibi citatis.

86 Arguitur secundò: Nam sæpe iustus operatur bene moraliter, absque eo quòd eius opera ordinentur ad Deum ultimum finem: ergo non sunt meritoria vite æternæ. Antecedens probatur: nam non stat opera iusti ordinari formaliter, aut virtualiter in Deum ultimum finem absque prævia cognitione vel formali, vel virtuali prædicti finis; sed sæpe iustus operatur bene moraliter absque prævia cognitione tam formali, quam virtuali Dei ultimi finis superna-

turalis: ergo sæpe eius opera non ordinantur ad huc virtualiter in Deum ultimum finem. Minor quoad primam partem experientia constat. Quoad secundam probatur: tum quia ad elicienda prædicta opera satis est cognitio formalis alicuius obiecti naturalis, quæ debet esse naturalis. Tum etiam: quia cognitio virtualis alicuius obiecti necessariò debet supponere aliquam cognitionem formalem illius, quæ relinquat suam virtutem, in qua virtualiter permaneat; sed sæpe iustus operatur bene moraliter, dum non manet vlla virtus cognitionis formalis Dei ultimi finis supernaturalis (vel assignetur) ergo.

Pro solutione huius argumenti notandum est primò, hominem adultum non posse iuxta providentiam Dei ordinari iustificari, nisi præeunte aliquo actu formali fidei, ut ex fide supponimus. Notandum est secundò, hominem, dum primò pervenit ad vltimam rationem, & adimplet præceptum charitatis tunc obligans, elicere etiam actum formalem fidei. Quibus prænotatis:

Respondetur, quòd sicut charitatis actus, dum elicitur in primo instanti iustificationis, virtualiter manet in omnibus potentijs, & virtutibus medio aliquo participio illius, & ratione illius potentia, & virtutes virtualiter ordinant omnes suos actus bonos moraliter in Deum ultimum finem; pariformiter actus fidei relinquat quoddam sui participium in potentijs, & virtutibus cognoscitivis, & medio illo cognitio formalis cuiusvis obiecti virtuosus in iusto est cognitio virtualis Dei ultimi finis, sicut actus cuiuslibet virtutis in iusto est volitio virtualis Dei ultimi finis: quia non minus universalis est fides in dirigendo, quam charitas in informando: & quia est initium, & radix totius vite spiritualis.

87 Sed dices primò: Actus fidei non relinquunt hoc participium in peccatore: ergo nec in iusto. Antecedens est certum; aliàs in quolibet cognitione bona peccatoris includeretur virtualiter cognitio Dei finis supernaturalis, dummodò præcesserit cognitio formalis fidei, quòd est inauditum. Et consequentia est legitima: quia prædictus actus eiusdem rationis quoad speciem est in iusto, & in peccatore; & non est assignabile in iusto, à quo prædictam efficaciam accipiat. ¶ Dices secundò. Adultus potest per potentiam Dei absolutam iustificari absque vlla actuali dispositione, proindeque absque actu formali fidei; sed posset tunc elicere plures actus naturales bonos moraliter: ergo absque prævia cognitione adhuc virtuali fidei.

Ad primam obiectionem respondetur, non esse impossibile, quòd fidei actus adhuc in peccatore relinquat sui virtutem in omnibus potentijs, & virtutibus, & ratione illius quælibet

liber cognitio naturalis virtuosa post emissionem prædictum actum fit virtualis cognitio Dei ultimi finis supernaturalis, propter rationem supra traditam. ¶ Secundò potest responderi concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd actus fidei in iusto habet à charitate efficaciam ad communicandum sui participium omnibus potentijs, & virtutibus: nam licet charitas non sit de linea cognoscitiva, potest vim suam communicare, ut ipsa cognitio efficacior evadat, sicut defectò movet ad elicendam ipsam cognitionem liberam. Et si ex his inferas, quòd fides dicenda foret forma virtutum, sicut charitas, concedendum est. Sed hæc formatio adhuc est materialis in ordine ad meritum, sicut est materialis ad artingendum Deum sub ratione summe dilecti.

Ad secundam obiectionem respondetur verum esse, ad ultimum posse iustificari absque vlla actuali dispositione, ut docent NN. Salmant. tract. 15. disp. 3. dub. 2. cum communi Theologorum sententia, & nos insinuavimus dispar. præced. num. 81. in fin. Sed non minus certum est, prædictum hominem teneri omninò ad elicendum actum formalem fidei, cum primò ei fides sufficienter notificatur: ut cum pluribus alijs docent laudati PP. tract. 17. disp. 6. num. 103. In qua suppositione, si voluntarie se divertat per licentiam alterius actus adhuc boni moraliter, graviter peccabit contra prædictum præceptum, sicut graviter peccaret in primo instanti usus rationis, si loco conversionis efficacis ad Deum ultimum finem, ad quam tenetur, eliceret aliam actionem, alias honestam.

88 Si verò contingeret in illa hypothesi, quòd fides non esset sufficienter notificata, & interim eliceret aliquos actus bonos moraliter (quod metaphysicè non repugnat) dicendum est (potest esse secunda solutio principalis argumenti) quòd quemadmodum actus charitatis formalis necessariò supponit directionem efficacem formalem fidei, quæ virtualiter manet in ipso actu charitatis, sicut quilibet volitio efficax supponit cognitionem obiecti amati, quæ in illa virtualiter manet; ita dilectio virtualis charitatis virtualiter continet virtuales cognitionem fidei, & charitas habitualis virtualis habituales virtuales fidem; ut sic detur proportio debita inter has virtutes, sicut inter intellectum, & voluntatem, & generaliter salvetur, proportione servata, illud proloquium, *Nihil volitum, quin præcognitum.*

89 Arguitur tertio. Si amor Dei ultimi finis supernaturalis esset efficax ad ordinandos virtualiter omnes actus iusti per totam vitam in prædictum finem, sequeretur, quòd amor efficax, quo peccator se converteret ad aliquod idolum, ordinaret omnes actus saltem morali-

ter malos virtualiter ad prædictum idolum; hoc est falsum, alias in idolatra nullum esset peccatum veniale, cum inficietur malitia idololatricæ, in qua ex genere non datur parvitas materia: ergo falsum etiam est, quòd per actum charitatis habitum in principio iustificationis omnes actus boni moraliter ordinantur virtualiter in finem charitatis. Sequela maior probatur: nam non minus efficax est amor ille idololatricæ, quo constituit idolum suum ultimum finem, ac amor charitatis quo constituit Deum ultimum finem: ergo.

Pro solutione huius argumenti nota primò, nullum obiectum determinatum peccatoris posse esse finem ultimum ipsius. Pro quo videantur dicta tract. 8. dub. 6. à num. 102. vsque ad num. 106. vbi plura ad hoc argumentum concernentia accurate pertractavimus. ¶ Nota secundò (& sequitur ex præcedenti notabili) quòd nullus actus efficax est ad dirigendos virtualiter sive in statum iusti, sive in statum peccatoris omnes actus in ultimum finem, nisi ille qui habet pro obiecto speciali ultimum finem: nam, sicut ultimus finis sibi subijcit omnia iuxta eorum capacitatem, solus ille actus potest subijcere omnia prædicto fini, qui ipsum habet pro obiecto specifico. Hoc autem est proprium solius actus charitatis: nam quodlibet peccatum mortale neque habet pro obiecto ultimum finem peccatoris, quòd est bonum proprium prout integratur ex bono particulari illius peccati, ex bono aliorum peccatorum, & ex bono honesto, immò & supernaturali; neque constituit finem ultimum nisi indirectè per modum impedimenti auferentis gratiam, & charitatem, per quam prædictum bonum vltimus poterat referri ad alium finem ultimum, videlicet Deum. Quibus prænotatis facile constat ad argumentum.

90 Arguitur quartò. Nam sapè contingit, quòd iustus eliciat plura opera bona moraliter, antequàm eliciat actum formalem charitatis; sed talia non ordinantur virtualiter ad Deum ultimum finem: ergo nec sunt condignè meritoria vite æternæ. Maior constat in eo, qui se iustificat in sacramento per attritionem. Minor probatur: tum quia D. Thom. frequenter pro hac relatione virtuali recurrit ad aliquem actum formalem præcedentem. Tum etiam: quia relatio virtualis supponere debet relationem formalem: ergo opera eliciata ante actum formalem charitatis, non ordinantur virtualiter in Deum ultimum finem. Tum deniquè: quia possunt in iusto dari actus indifferentes in individuo persè in aliena sententia, & per accidens in nostra ergo signum est, quòd non datur prædicta ordinatio virtualis.

Pro solutione huius argumenti duplex modus potest excogitari, & vterque facilis. Primus est, quòd à gratia, & charitate ex vi actus iustifi-

cantis dimanat in omnibus potentijs liberis, & virtutibus quidam modus, per quem habitualiter intrinsece ordinantur in Deum ultimum finem, ad differentiam peccati venialis, & vitiorum, quæ tantum extrinsece ad illum ordinantur: est enim prædictus modus participatio virtualis solius habitus; & sicut voluntas per habitum charitatis solum ordinatur habitualiter in Deum, ita potentia, & virtutes, in quibus est prædictus modus, solum virtualiter habitualiter ordinantur in Deum.

Et iuxta hunc modum neganda est minor. Ad cuius primam probationem dicendum est, D. Thom. quando recurrit ad actum præcedentem, loqui de iustificatione connaturalissima, quæ semper fit medio actu formali charitatis. Ad secundam: Respondetur ad relationem virtuales actuales aliorum actuum satis esse, quòd supponant relationem habituales virtuales in suis principijs (quæ nequeunt non illo modo habituali vti, si semel operantur bene moraliter) & hæc supponat relationem formalem habituales per habitum formalem charitatis. ¶ Est tamen notandum (ut sic duas obiectiones præoccupemus) quòd voluntas (v.g.) solum vtitur prædicto modo, quando elicit actum capacem talis relationis, cuius non est peccatum veniale, sed quilibet actus virtuosus. Et hoc constat, dum præcessit actus formalis charitatis: sicut ex eodem constat, quòd non potest non talis modus habitualis influere in actum capacem relationis virtualis. Ratio verò cur voluntas potest non vti habitu charitatis, etiam dum operatur bene moraliter, & non potest non vti prædicto modo est, quia habitibus vtitur, dum volumus; non sic de modo illo, qui est affectio subiecti, in quo est: ob quam rationem homo operans nequit non vti subsistentia. Et si dicas, quòd charitas intensa ut octo non vtitur semper modo illo ut octo: verum est quoad totam suam intensiorem; sed falsum absolute: & in modo supra dicto non est hæc diversitas. Ad tertiam: Respondetur, actus indifferentes non esse capaces prædictæ relationis virtualis, nisi antecedenter constituantur boni moraliter per actum, & ordinationem formalem alterius virtutis. Et hoc verum est, etiam si actus formalis charitatis præcesserit.

Secundus modus est, & fortè probabilior, quòd sicut Deus in sacramento supplet actum charitatis, qui est dispositio connaturalis gratia; ita supplet prædictum modum, qui est participatio virtualis prædicti actus, quique in actibus necessario est actualis: & in habitibus, & potentijs, vel habitualis, quia est iuxta capacitatem recipientis; vel actualis, quia est participatio actus, & non solum habitus. Et iuxta hunc modum dicendi satis liquet ad omnes probationes, maxime si adhibeatur doctrina proximè tradita.

Aliud argumentum potest desumi ex actibus remissis charitatis, & aliarum virtutum. Sed pro eius evocatione speciale dubium insudabit, vel in hac disp. dub. 9. vel in tract. sequenti, & disp. de Charitate.

§. IX.

Nonnulla corollaria.

91 **E**X Dictis in hoc dubio inferitur primò, in actibus imperatis à charitate actu formali, ut contingit in actu perfecto contritionis, dari diversum meritum essentiale, ac in actu formali imperante. Ratio est, quia est in omnibus actibus bonis moraliter diversa materia, scilicet diversa bonitas moralis, & diversa forma requisita ad meritum condignum vite æternæ: est enim in eis relatio intrinseca, & virtualis in Deum ultimum finem derivata ab actu formali imperante, ut contingit in quolibet actu imperato ab alia virtute, v.g. à religione, & in intellectu imperato à voluntate. Adde: Nam actus humilitatis in se intrinsece non est peioris conditionis, dum imperatur formaliter ab actu charitatis formaliter existenti, ac dum actus charitatis non existit; sed in actu humilitatis est diversa relatio in Deum, ac in actu formali charitatis, qui iam non existit: est enim in eo relatio tantum virtualis, quæ distinguitur à relatione formali: ergo idem dicendum est de eodem actu, dum formaliter imperatur à charitate: ergo est diversa ratio formalis merendi de condigno vitam æternam: ergo est diversum meritum de condigno vite æternæ. ¶ Et confirmatur. Nam difficile salvaretur modus loquendi D. Thom. afferentis in præfati art. 4. & in 3. dist. 18. quæst. 1. art. 5. ad ultimum, quòd non sola charitate meretur, sed etiam alijs virtutibus, licet non secundum se, sed ut imperatis à charitate.

92 Obijcies: Substantia prædestinati imperatur à prædestinatione, & propterea est effectus illius in prima sui productione, ut supponimus ex dictis in suo tract. & tamen non recipit aliquam bonitatem intrinsecam supernaturali, ratione cuius ordinetur intrinsece ad finem prædestinationis: ergo idem potest dici de charitatis actu formali imperante actus aliarum virtutum, maxime naturalium.

Respondetur esse duplicem rationem disparitatis. Prima est: quòd prædestinatio, & providentia naturalis, quæ producitur substantia prædestinati tam quoad actum primum, quam quoad actum secundum non distinguuntur adhuc virtualiter, sed se habent quasi providentia partiales tantum obiective eiusdem virtutis, & propterea non opus est, quòd prædestinatio, dum imperat providentiam naturalem, ei imprimat aliquid intrinsecum. Cete-

rum charitas est virtus distincta ab humilitate, & ideo necesse est, quod actus iustus, dum imperatur à charitate, recipiat aliquid intrinsecè de eius linea. *Secunda est*: quod substantia prædestinatio ita imperatur à prædestinatione, quod non constituat effectus proximus & proportionatus ad suum finem. At actus naturalis bonus moraliter constituitur à charitate effectus proximus & proportionatus cum sine illius, ut liquet, dum actus formalis charitatis iam præcessit: & hac ratione recipit bonitatem intrinsecam de linea charitatis.

93 Inferitur secundò, quolibet actum moraliter bonum in isto esse de condigno meritum vite æternæ secundum omnes circumstantias bonas moraliter. Itaque si contingat, quod actus (v. g.) humilitatis imperetur simul à religione, penitentiâ, obedientiâ &c. sicut prædictus actus habet diversas bonitates morales spectantes ad prædictas virtutes, & alias desumptas ab alijs circumstantijs durationis, intentionis &c. iuxta dicta tract. 10. disp. 2. dub. 1. & 2. secundum omnes eas meretur de condigno vitam æternam. Ratio semper est eadem: quia prædictus actus secundum omnes illas circumstantias imperatur à charitate, sicut omnes prædictæ virtutes habitualiter, seu virtualiter intrinsecè sunt imperatæ. ¶ Notandum tamen est, iuxta dicta loco proxime citato num. 12. & 13. quod licet ex appositione plurium circumstantiarum bonitas crescat, non tamen arithmeticè, sed tantum proportionaliter: quia iuxta maiorem appositionem circumstantiarum minuitur libertas, & conatus ad vnamquamque ex illis, & propterea necesse est, quod minuatur bonitas vniuscuiusque, & consequenter meritum vite æternæ. Quia, ut supra diximus, relatio charitatis proportionatur cum bonitate morali: & ita sicut bonitas non augetur per partes aliquotas, sed proportionales, ita meritum hoc tantum modo augetur debet.

94 Inferitur tertio, maiorem charitatem præcisè habitalem non conducere ad augendum meritum præmij essentialis, licet augeat meritum præmij accidentalis. Utramque partem docet expressè D. Thom. in 3. dist. 30. quest. 1. art. 5. ad 5. ubi ait: *Actus ex maiori charitate procedens minus intensus, est magis meritorius respectu præmij accidentalis, quod respicit ipsam actum: sed minus respectu præmij essentialis, quod respicit capacitatem, que est ex habitu charitatis.* Et quoad primam partem evidenter colligitur ex D. Thom. locis relatis num. 60. & num. 75. in respons. ad secund. confirmationem. ex quibus constat habitibus nullum mereri, sicut nec demereri, ex quo emanavit illud axioma, *Habitibus non meremur, aut demeremur*: ergo maior charitas præcisè habitualis non conducit ad augendum meritum præmij essentialis: quia sicut se habet sim-

pliciter ad simpliciter, etiam se habet magis ad magis. D. Thomam sequuntur Cano, Medina, Zumel, Martínez, Arauxo, Cabreta, Godoy, Serna, NN. Salm. in præf. disp. 4. dub. 4. Vazquez, Lorca, & plures alij vel in præf. art. 4. & 8. vel tract. de *Incarnat.* Contra Victoriam, Peñam, Enriquez, Suarium, Lugonem, Ripaldam, & alios, quos refert, & sequitur Oviedo in præf. controv. 5. p. 118. 2. Nostra verò resolutio est conformior sacre pagine: siquidem Hierem. 31. dicitur: *Est merces operi tuo*: & ad Rom. 2. *Reddet unicuique secundum opera eius.*

Probatur ratione: Nam vita æterna est merces meritorum: ergo hæc sunt pretium, quo comparatur; sed habitus non est pretium gloriæ per modum coronæ, sed actus: ergo maior charitas præcisè habitualis non conducit ad augendum meritum vite æternæ. ¶ Confirmatur primò. Si homo operetur, & non utatur habitu charitatis, habitus ille nullum tribuit valorem operationibus illius, quia est otiosus; sed si habet charitatem ut octo, & elicit actum charitatis ut quatuor, quatuor illi gradus, quibus habitus excedit actum, sunt otiosi: ergo. Maior constat ex hucusque dictis in hoc dubio. ¶ Confirmatur secundò. Nam prædicti gradus, quibus charitas excedit actum, impertinenter, & omnino per accidens se habent ad illum: ergo meritum illius non excedit meritum eius, qui habens charitatem ut quatuor elicit actum intentum ut quatuor. ¶ Confirmatur tertio. Quia si vnus, habens vitium iniustitiæ ut octo eliciat, ceteris paribus, furtum ut quatuor, & alius habens illud intentum ut quatuor eliciat furtum etiam ut quatuor, primus non demeretur maiorem penam essentialem sive damni, sive sensus: ergo idem dicendum est de habente charitatem ut octo, & de habente charitatem ut quatuor, utroque eliciente actum ut quatuor.

Quoad secundam partem etiam suadetur: Siquidem de operibus factis in maiori amicitia Dei, resultabit maius gaudium accidentale; sicut de operibus factis in maiori inimicitia, resultabit in reprobo maior aliqua pena accidentalis: ergo maior charitas præcisè habitualis conducit ad maius præmium accidentale: ad præmium enim accidentale spectat tale gaudium; si dicat aliquam relationem ad actum, ut docet D. Thom. in verbis supra allatis.

95 Sed objicit ex D. Thom. in 3. ad An. nib. dist. 30. art. 4. ad ultim. ubi loquens de premio essentiali ait: *Quantitas eius respicit quantitatem habitus charitatis.* ¶ Et confirmatur. Nam opus idem maioris amici, ceteris paribus, est in estimatione prudentum maioris estimabilitatis, sicut obsequium præstitum à Principe estimabilius est obsequio præstito à plebeo: & hinc provenit, quod satisfactio Christi sit simpliciter infinita: ergo sicut satisfactio

Chri-

Christi, ceteris paribus, crescit ad incrementum suæ dignitatis personalis: ita meritum crescere debet ex dignitate personæ proveniente à gratia habituali.

Ad objectionem respondetur, D. Thom. solum intendere quod quantitas præmij essentialis respicit quantitatem habitus charitatis non secundum se, sed prout explicatur in actu: ne sibi contradicat. ¶ Ad confirmationem respondetur negando antecedens. Quia maior estimabilitas actus relate ad præmium essentialis, adhuc in estimatione prudentum, non desumitur ex maiori amicitia habituali, sed ex eo quod talis amicitia magis influat. Sicut (ut instantia stemus) valor operum Christi desumitur à relatione intrinseca, quam dicunt ad personam Christi non otiosam, sed operantem, & idem dicendum est de obsequio præstito à Principe: & quia in operationibus, maxime in his que conducunt ad obsequium, laudem, & honorem aliorum, & humillationem ipsius personæ operantis, tota persona humiliatur, & subicitur, non est mirum, quod condignitas operum Christi, & Principis crescat in estimatione prudentum, ceteris paribus. Alia ratio est in gratia, quæ vè maior, & intensior non operatur: & sicut nullo modo operans non conducit proximè ad meritum essentialis, estò conferat personæ magnam dignitatem constituendo illam amicam Dei; ita non operans ut intensior non debet conducere ad maius meritum essentialis. Sicut duobus militibus aequè pugnantibus, quorum vnus esset magis amicus iudicis remunerantis, æquale præmium debetur, & iudex esset acceptor personarum, si ratione maioris amicitia maius præmium conferret magis amico. His non obstantibus, maior amicitia potest conducere ad efficacius impetrandum, ceteris paribus, aliquod donum gratuitum: & ita iudex non erit acceptor personarum, si, utroque milite postulante, triberet maius donum gratuitum magis amico. Sed hoc ideo est, quia conferretur non ex iustitia, sed ex liberalitate: & hoc pacto opera magis iusti, ceteris paribus, sunt magis grata ad impetrandam à Deo maiora beneficia.

96 Inferitur quartò, opus maioris amici ceteris paribus, necnon opera aliarum virtutum quoad substantiam mereri de condigno maius præmium accidentale, & de congruo maius præmium essentialis. Quod opus maioris amici, ceteris paribus, meretur maius præmium accidentale, constat ex dictis num. 94. Et quod meretur de congruo maius præmium essentialis, constat ex proximè dictis num. præcedenti.

¶ Quod autem per opera aliarum virtutum mereatur iustus de condigno præmium accidentale, traditur à D. Thom. 1. part. quest. 95. art. 4. 1. ad Corinth. 3. lect. 2. alijque in locis. Et breviter suadetur: nam iuxta communem sen-

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

sum Ecclesiæ, & Theologorum dantur aureolæ, quas iustus de condigno meretur: aureolæ debet privilegiam præmium accidentale privilegiari victoriæ, & propterea distinguitur ab aurea, quod est præmium essentialis: ergo iustus meretur de condigno præmium accidentale; sed non per opera ut informata charitate: ergo per opera virtutum sumpta quoad substantiam. Qualia sunt opera, per quæ mereatur iustus prædictas aureolas, iam examinata manent tract. 8. disp. 2. dub. 8. *Confirmatur.* Quia nullum est opus bonum morale, ex quo non resultat aliqua gloria seu præmium accidentale, sicut nullus est actus malus, cui non correspondeat aliqua pena: ergo sicut actus malus de condigno meretur talem penam, etiam actus bonus quoad substantiam in iusto meretur de condigno præmium aliquod accidentale. ¶ Quod tandem per talia opera mereatur de congruo præmium essentialis, docetur à D. Thom. in præf. art. 3. & 6. nam congruum est, quod homini operanti bene secundum propriam virtutem, & adimplenti voluntatem Dei, & existenti in amicitia illius, Deus ipsi secundum amicitia proportionem adimpleat voluntatem hominis, & retribuatur secundum magnificentiam, & excellentiam suæ virtutis; sed nihil aliud requiritur ad meritum de congruo proprie dicto: ergo iustus per opera bona moraliter meretur de congruo vitam æternam.

97 Nec obest, si dicas primò, quod ad meritum de congruo proprie dictum requiritur non solum proportio aliqua ex parte operantis, sed etiam ex parte operis; sed opera naturalia nullam habent proportionem cum vita æterna: ergo non sunt meritoria de congruo. ¶ *Secundò.* Quia vnus, & idem actus nequit fundare duplex meritum; sed prædictus actus fundat meritum de condigno essentialis, & meritum de congruo accidentale: ergo nequit fundare aliud meritum de congruo essentialis.

Non, inquam, hæc obstant. Non primùm tum quia ad meritum de congruo proprie dictum satis est proportio ex parte operantium, ut docet Div. Thom. art. 6. quam iustus habet ratione gratiæ. Tum etiam: quia, ut docet D. Thom. quest. 1. de *Virtut.* art. 10. ad 4. actus virtutis acquisitæ, qui indispensabiliter imperatur in iusto à charitate iuxta frequenter dicta in hoc prolixo dubio, ita imperatur ab ea, quod prius natura imperetur à virtute infusa: proindeque actus humilitatis acquisitæ ratione humilitatis persè infusæ, & supernaturalis pro prior ad informationem charitatis habet aliquam informationem supernaturalem, ratione cuius in iusto habet aliquam proportionem cum vita æterna sufficientem cum proportione amicitia: ad meritum de congruo respectu illius. Porro per opera aliarum virtutum quoad substantiam intelligitur totum id, quod præcedit informa-

Oog

104

tionem charitatis, & in hoc sensu cessat difficultas. *Nec secundum*: Quia ille actus diverso modo fundat triplex illud meritum: nam meritum de condigno essentialiter fundat ratione informationis charitatis: meritum de condigno accidentale fundat secundum bonitatem propriam desumptam ex alijs virtutibus, per quam habet condignitatem cum illo, & inducit ius ex iustitia: & denique meritum de congruo essentialiter non fundat per condignitatem, nec inducit ius ex iustitia, sed ex liberalitate, & amicitia: & hi respectus diversi non repugnant in eodem actu.

DUBIUM VI.

An iustus possit per potentiam Dei absolutam sibi meri de condigno, seu de congruo primam gratiam iustificantem?

98 **S**tabilitas iam omnibus conditionibus requisitis ad meritum praecipue vitae aeternae, deinceps agendum est de obiecto illius. Circa quod primo inquit Div. Thom. art. 5. huius questionis, *An homo possit sibi mereri primam gratiam?* Prima autem gratia est duplex: alia actualis, qualis est primum auxilium supernaturale, seu prima vocatio ad iustificationem. Et de hac adeo expressè tractavimus tract. praeced. disp. 1. dub. 7. contra pelagianos, semipelagianos, & nonnullos catholicos, ut nil impraesentiarum desideretur. Alia est habitualis, & iustificans. Et de hac potissimè agit D. Thom. in praesenti, & propterea meditatio ponimus in titulo illam particulam *iustificantem*.

Hac autem gratia potest comparari, vel in ordine ad opera pure naturalia, vel in ordine ad opera supernaturalia; & in ordine ad illa, vel antecedentia, vel ab ipsa gratia promanantia. Ex dictis loco proxime citato satis constat, hominem per opera pure naturalia adhuc per potentiam Dei absolutam non posse mereri, si-ve de condigno, si-ve de congruo congruitate proprie dicta, & fundata in amicitia Dei, primam gratiam habitualem, sicut nec primam gratiam actualem, nec esse legem statutam dandi gratiam habitualem facienti, quod est in se ex viribus solius naturae, ut omnes catholici fatentur quicquid sit de prima gratia auxiliante. Unde remanere tantum poterat difficultas de operibus supernaturalibus vel quoad substantiam, vel quoad modum.

99 Opera autem huiusmodi, quae antecedunt existentialiter gratiam iustificantem, non esse meritoria de condigno gratiae habitualis factis probatum manet in hac disp. dub. 4. Et colligitur ex illo Apost. ad Rom. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gra-*

tiam, sed secundum meritum; est autem contra rationem gratiae, & antonomastice gratiae, qualis est iustificans, quod sit merces seu debita, ut hic ait D. Thom. in argument. *Secundum contra*, & correspondens merito de condigno: ergo nulla opera antecedentia possunt esse meritoria de condigno vitae aeternae. Hoc apertius constat in peccatore, propter dicta num. 47. desumpta ex Div. Thom. art. 2. & hoc art. 5. *His accedit*: quod si homo non iustificatus, non potest mereri de condigno vitam aeternam propter absolutam disproportionem horum operum, potiori titulo improporionata erunt cum gratia habituali: quia haec in probabiliori sententia est simpliciter perfectior tam in esse entis, quam in estimatione morali visione beata, sicut filiatio plus aestimatur, quam hereditas.

100 Hoc etiam certum debet esse de merito congrui congruitate proprie dicta, iuxta distinctionem traditam tract. praec. & disp. supra relata num. 126. Quia meritum de congruo proprie dictum est illud, quod fundat aliquod ius intrinsecum, & debitum titulo amicitiae, ad distinctionem meriti congrui improprie & secundum quid talis adhuc intra lineam imperfectam meriti de congruo, & non sufficit, quod habeat in se aliquam proportionem cum premio, ideoque ultra hanc proportionem debet dari proportio operantium, hoc est merentis, & praemiantis, vt colligitur ex Div. Thom. in praef. art. 6. atqui opera hominis non iustificati non supponunt amicitiam Dei positivam, nec proportionem, aut dignitatem operantis ortam ex ea: ergo non potest mereri de congruo congruitate proprie dicta primam gratiam habitualem. Libenter tamen concedimus defecto meriti illam de congruo congruitate secundum quid, prout importat ius fundatum materialiter in quadam proportione, & formaliter in extrinseca liberalitate & misericordia Dei: quia congruum est, ut inquit D. Thom. in praef. art. 3. *vt homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suae virtutis*: Et sic statuta est lex à Deo conferendi gratiam habitualem facienti, quod est in se viribus gratiae. Hoc non obstant, Div. Thom. non dicit ibi, quod absolute mereatur homo de congruo, *sed est tibi* (inquit) *congruitas*. Et quoties Angust. Div. Thom. & alij SS. PP. & Theologi maioris nota concedunt operibus supernaturalibus meritum congrui, intelligendū est de posteriori.

Unde solum remanet difficultas de operibus iustificati. Et quia ex dictis dub. praeced. liquet omnia opera bona moraliter elicta à iusto in ipso instanti iustificationis, maxime supernaturalia, elicitive provenire à gratia habituali, & charitate, necnon dispositiones ex natura sua ultimas procedere ab ea, ut probavimus disp. praec. à num. 88. etiam liquet con-

tro-

§. I.

Sententia Div. Thom. duplici assertioni explicata.

101 **D**icendum est primò, repugnare per potentiam Dei absolutam quod iustus sibi mereatur de condigno primam gratiam habitualem, seu quod per opera ab ea procedentia mereatur illam de condigno. Ita perpetuo D. Thom. vt videri potest in Tabula aurea verb. *Meritum* num. 43. praesertim quest. 29. de Veritate. art. 6. & in praesent. art. 5.

Et probatur ratione illius ad hanc formam redacta: Nam implicat contradictionem, principium essentialiter, & formale meriti cadere sub merito illius operationis, cuius est principium; atqui prima gratia est principium essentialiter, & formale meriti condigni reperti in operatione ab ea procedente: ergo nequit per potentiam Dei absolutam cadere sub merito condigno operum ab ea procedentium, vel nequit iustus mereri de condigno primam gratiam habitualem. Consequentia est legitima. Minor certa, iuxta dicta duobus dubijs praec. Maior verò, in qua est difficultas, probatur: nam implicat contradictionem aliquid esse prius, & posterius in eodem genere causae infimae, sicut implicat aliquid esse causam sui ipsius; sed si principium essentialiter, & formale merendi caderet sub merito ab eo procedente, esset causa & effectus in eodem genere causae infimae: ergo implicat contradictionem principium essentialiter, & formale meriti cadere sub merito operationis ab eo procedentis. Minor probatur: nam principium essentialiter, & formale meriti est causa praemij, & meriti non solum in genere causae efficientis physicae, sed etiam in genere causae moralis efficientis, prout effectivè communicat merito suum valorem, ex quo sequitur, quod praemium sit effectus in eodem genere causae efficientis moralis: ergo si principium essentialiter meriti cadit sub merito condigno operis ab eo procedentis, esset causa, & effectus in eodem genere causae infimae.

Explicatur hoc brevius: Nam principium essentialiter, & formale meriti effectivè moraliter causat meritum; meritum etiam effectivè moraliter causat praemium: ergo si principium essentialiter, & formale meriti cadit sub tali merito, in eodem genere causae, quo illud causat, causat seipsum: quia quod est causa causae, est etiam causati in eodem genere causae: ergo esset causa, & effectus in eodem genere causae infimae.

Confirmatur. Repugnat in terminis, quod meritum essentialiter, & formaliter constituitur in ratione talis per praemium; sed si princi-

pioveriam istam restringi ad opera subsequenter, & procedentia à gratia habituali, & charitate. Et totum hoc comprehenditur sub illa particula *iustus* posita in titulo dubij: quod sub alijs terminis solet ab alijs proponi, an, nimirum, *gratia habitualis, prout est principium meriti, possit cadere sub eodem merito, vel possit esse praemium illius?* Circa quod vnum supponimus, & aliud inquirimus.

101. Supponimus iustam, idest per opera subsequenter, defectio non mereri si-ve de condigno, si-ve de congruo gratiam habitualement. Tum quia defectio homo iustificatur omnino gratis, iuxta illud Apost. ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*. Tum etiam: quia meritum est quidam motus ad praemium; sed connaturalis exigentia rerum petit, quod motus praecedat suum terminum prioritate saltem naturae, & existentiali: ergo defectio iustus per sua opera subsequenter non meretur si-ve de condigno, si-ve de congruo gratiam habitualement. Patet consequentia: tum quia quoad hoc eadem ratio militat de vno, ac de alio merito. Tum etiam: quia Deus in hoc, sicut in ceteris rebus attendit ad connaturalem exigentiam rerum. Adde pro merito de congruo, quod impraesentiarum vel non habet locum, vel esse debet meritum de condigno, propter aequalitatem moralium operum procedentium à gratia cum ipsa gratia. Inquirimus ergò, an per potentiam Dei absolutam homo per opera procedentia à gratia, si-ve iustus possit si-ve de condigno, si-ve de congruo sibi mereri primam gratiam iustificantem?

Circa quam difficultatem triplex militat sententia, duae extremae, & altera media. *Prima* extrema docet, primam gratiam habitualement posse de potentia Dei absoluta cadere sub merito non solum de congruo, sed etiam de condigno operum ab ipsa procedentium. Ita Zamel in praef. disp. 1. conc. 4. & disp. 4. Suarez 1. part. lib. 2. *Benedict.* cap. 20. Granada. 1. part. tract. 6. disp. 7. & in praef. tract. 12. controuv. 8. disp. 4. & 3. part. Coninch. 2. 2. disp. 8. dub. 7. Ripald. tom. 3. disp. 86. sect. 2. conc. 2. & 3. & alij recentiores Societatis. *Secunda* extrema defendit, nullam neque de condigno, neque de congruo posse sibi mereri gratiam iustificantem, adhuc insuperata potentia Dei absoluta. Ita communiter Thomista cum suo Angelico. Praecipue si-ve in praef. si-ve in 3. part. & plures alij extra eius Scholam, quos referunt, & sequuntur NN. Salmant. in praef. disp. 6. dub. 1. *Tertia*, & ultima media negat meritum de condigno adhuc de potentia Dei absoluta; concedit tamen meritum de congruo. Ita Godoy 3. part. disp. 13. à num. 88. & praecipue id insinuat disp.

50. num. 47.

**

pium meriti cadit sub merito, meritiu conlittueretur eflentialiter, & formaliter per ipfam pramium: ergo repugnat, principium eflentiale, & formale meriti cadere de condigno fub ipfo merito. Maior efl certa; aliàs non tenderet ad aliud, fed ad feipfum. Minor probatur: nam fi principium meriti cadit fub eius merito, principium efl idem cum pramio: fed meritum conlittuitur eflentialiter, & formaliter per dignitatem acceptam à principio formali, & eflentiali: ergo conlittueretur ipfo pramio eflentialiter.

Confirmatur fecundò. Repugnat caufam efficientem phyficam eflentialem alicuius actionis caufari efficienter phyficè ab ipfa actione: ergo etiam repugnat caufam efficientem moralem eflentialem alicuius actionis eflere effectum illius in genere caufæ efficientis morali; fed hoc contingeret, fi principium meriti caderet fub merito, vt fupra demonflratum efl: ergo repugnat principium meriti cadere fub merito, quòd ab eo procedit.

103 Huic rationi, cui vnice noflra fententia fidit, & quæ à Noflratibus alijs formulis foler expendi, multipliciter respondent aduerfarij. Primò dicunt, quòd gratia habitualis potefl conliderari dupliciter, & prout fubefl decreto intentivo, & prout fubefl decreto executivo. Priori modo efl principium meriti, & hoc pacto non potefl cadere fub merito; bene verò pofteriori modo, quia non efl principium meriti.

Secundò respondent, principium meriti, poffe comparari ad actum meritorium prout exiflente in illo inflanti, in quo illum caufat, vel pro alio inflanti in quo illum non caufat, fed præcedit tempore. Primo modo non potefl cadere fub merito, quia illud caufat; fed quia pofteriori modo illud non caufat, potefl cadere fub merito.

Tertiò docent, quòd fi Deus decernat hunc numero actum procedere ab hoc principio determinato, non potefl cadere fub merito illius: potefl tamen decernere, quòd procedat ab hoc principio, vago v. c. à gratia habituali, vel ab auxilio tranfeunte; ab hac, vel illa gratia habituali numero diflincta, & ex prævifione illius actus moveri potefl Deus ad infufionem gratiæ habitualis determinate.

Sed nulla ex his evafionibus elevat vires fupradictæ rationis. *Non prima*: Tum quia principium meriti non potefl eflere tale nifi vt exiflens, nec meritum movet voluntatem præmiantis nifi vt exiflens, vel prævideatur vt exiflens: in hoc enim diflinguitur caufæ efficiens five phyfica, five morali à caufæ merè finali, quòd hac movet vt fit, illa quia efl; fed meritum nequit prævideri vt exiflens ante fuum principium eflentiale efficiens tam phyficum, quam morale: ergo nullo pacto potefl principi-

pium meriti cadere fub merito, cuius efl principium. *Tum etiam*: Nam in nullo figno potefl Deus decernere exiflentiam meriti, quin in eodem, vel anteriori figno decernat principium eius effectivum eflentiale: quia tam phyficè, quam moraliter dependet ab eo: ficut ob eandem rationem nequit Deus decernere operationem Petri, quin decernat pro aliquo figno prioritate faltem nature exiflentiam ipfius Petri: ergo fi meritum nequit influere merito, nifi vt exiflens, manifeffe fequitur, quòd principium illius eflentiale nequit eflere effectus illius meriti. *Tum præterea*: Nam licet demus gratis, quòd decretum executivum præmij fit prius decreto executivo meriti, ideoque multi probabiliter docent, quòd Chriflus meruit gratiam antiquorum Patrum; repugnat tamen meritum, quòd non poffit eflere ante executionem præmij: nam repugnat caufæ aliqua, cui abfolutè repugnet fuis connaturalis modus caufandi, qualis efl modus caufæ meritorie, de cuius ratione efl, quòd præcedat exiflentialiter præmij; aliàs de providentia ordinaria poffet iufte mereri gratiam habitualem, & Chriflus incarnationem, & defacto illos meruiffent, quòd nullus aduerfariorum concedit; fed operi meritorio repugnat eflentialiter eflere ante fuum principium eflentiale merendi: ergo. *Tum denique*, (ad hominem contra Suarezium, cuius efl hæc folutio, quæ impugnamus) Nam decretum executivum principij eflentialis meriti imprimis præcedit decretum executivum ipfius meriti: nam talis efl ordo in decretis executivis, qualis efl ordo obiectorum vt exiflentium in re; aliàs prævifio meriti ante decretum executivum principij merendi non fufficit ad meritum: ergo nullo modo potefl principium meriti cadere fub merito. Minor probatur: nam prævifio meriti non fufficit ad promerendum principium eius eflentiale, prout fubefl decreto intentivo, vt fupponit Suarez; & tamen in principijs illius prævifio meriti præcedere potefl decretum intentivum fui principij: fiquidem pro priori ad decretum abfolutum potefl in eius fententia obiectum illius cognofci vt futurum: ergo prævifio meriti ante decretum executivum fui principij non fufficit ad illud merendum: requiritur ergo, quòd meritum prævideatur futurum in decreto executivo, quòd efl non potefl refpeffive ad fuum principium eflentiale.

104 Nec fecunda evafio vrget, ex eifdem fere motivis. Tum quia per te principium meriti, prout efl præfens, non potefl cadere fub tali merito: ergo nec vt præteritum. Confequentia probatur: ideo antecedens efl verum, quia meritum exiflens refpicit fuum pramium vt futurum faltem prioritate nature; fed præteritum magis diflat à futuritione: ergo fi vt præfens non potefl cadere fub merito, potiori titulo nec vt præteritum. *Tum etiam*: Quia

repugnat pramium, quòd non poffit eflere pofterius meritum; fed hoc non minus repugnat principio meriti vt præterito, quam vt præfenti: ergo. *Tum præterea*: Quia fi repugnat merito influere in pramium vt iam exiflens: ergo etiam in pramium vt iam præexiflens, & præteritum. *Tum denique*: Non repugnat principio meriti præfenti cadere fub tali merito, præcise quia efl principium, fed quia meritum eflentialiter illud fupponit; fed etiam fupponit illud vt præteritum: ergo. ¶ Adde, & forte vrgentiùs: Nam fi principium meriti, vt ante productum, potefl cadere fub merito pofteriori, etiam tale principium vt continuatum potefl cadere fub illo merito; fed hoc eflere cadere fub tali merito vt præfens: ergo. Videatur omninò D. Thom. in præf.

105 Nec tertia: Tum quia involvit plura principia falva. Fupponit namque imprimis, eundem numero effectum poffe difvifim dependere à duplici caufæ totali: cuius oppofitum fupponimus iuxta NN. Complut. abbrev. in Phyf. difp. 15. quæft. 4. Fupponit etiam, duo accidentia tantum numero difvifa poffe difvifim recipi in eodem fubiecto formali: cum gratia A, & B poffint recipi difvifim in eadem anima pro eodem inflanti reali; quòd non minus repugnat, ac fimul, propter doctrinam traditam à prædictis PP. de Generat. difp. 14. dub. 6. Fupponit denique, auxilium tranfens poffe eflere principium meriti de condigno: cuius falfitas liquet ex dictis duobus dubijs præc. ficut & difp. præced. dub. 6. à num. 88. & dub. 4. à num. 37. Fupponit denique, principium alicuius actionis poffe in eam influere vt vagum, & indeterminatum: quòd efl omninò falfum, quia actiones funt fuppoftorum, & fingularium: & quia actio determinata petit procedere à principio determinato.

106 Tum etiam: Nam meritum non influit meritorie nifi vt exiflens, & prout efl obiectum fcientiæ vifionis; fed meritum vt exiflens efl determinatum: ergo non influit meritorie nifi vt determinatum; fed meritum debet fupponere fuum principium vt exiflens, ac proinde vt determinatum: ergo vel non potefl cadere fub merito, vel cadit, vt efl principium. *Tum denique*: Nam Deus ex vna parte non movetur à meritis indeterminate, quia arguit imperfectionem potentialitatis tam in cognofcente, quam in determinante: ex alia principium quòd merendi debet eflere determinatum, quia præmiatur non vt vage, fed vt determinatum: ergo etiam principium quo meriti debet eflere determinatum.

107 Dicendum efl fecundò, iufte adhuc de congruo non poffe per potentiam Dei abfolutam fibi mereri primam gratiam habitualem, non folùm quia efl principium illius formale & eflentiale, fed etiam præcise quia efl princi-

pium phyficum. Id non obfcurè colligitur ex D. Thom. in præf. art. 6. dum univerfaliter docet, quòd poftquam: aliquis habet gratiam, non potefl gratia iam habita fub merito cadere, quia merces efl terminus operis. Et quoad primam partem, in qua nobilem convenit Godoy locis fuprà relatis, facile conflat ex dictis: quia fi efl principium eflentiale meriti de congruo, feipfam promeretur; quòd efl impoffibile.

Quoad fecundam verò partem, in qua efl quedam lis inter nos, & Godoy, fuadetur breviter: Nam repugnat, quòd principium phyficum meriti, inquantum efl principium, fit effectus illius in genere caufæ efficientis adhuc morali; fed fi gratia habitualis, prout efl principium phyficum meriti, caderet fub tali merito, efleret effectus in genere caufæ morali efficientis: ergo repugnat, quòd cadat fub merito, refpeffu cuius conlideratur præcise vt principium phyficum. Maior, in qua tantum efl difficultas, probatur: nam nullum meritum, fi verè efl meritum, movet nifi vt exiflens non folùm in intentione, fed etiam in executione, aliàs non diflingueretur à caufæ purè finali; fed repugnat, quòd fit exiflens pro priori ad fuum principium effectivum phyficum, fiquidem hoc operatur, inquantum efl exiflens phyficè: ergo repugnat, quòd principium phyficum meriti inquantum tale fit effectus illius in genere caufæ efficientis adhuc morali.

Confirmatur. Nam meritum de congruo afimilatur impetrationi; fed hæc non habet locum refpeffu eius, quòd quom iam habet in fua poffeffione, vt frequenter docent Patres, maxime Auguft. & Hieronym. ergo nec meritum.

Nec contra hoc obefl meritum in humanis remuneratum anticipata folutione, vt dum Rex tribuit alicui equum, & arma pro merito futuro; & intuitu quòd illis mereatur. Quia non tribuit abfolutum dominium armorum, & equi, fed fub conditione operis exequendi in obsequium dantis; & fi tale opus non exequatur, tenetur ad reftitutionem. Unde præmium talis operis efl res vt poffeffa, & quæ efl abfolute merito pofterior: & ipfa res fecundum fe non efl principium meriti: ideoque non efl ad rem. *Maximè*: Quia, concesso merito de congruo, non efl ratio, cur negetur meritum de condigno (ficut negat Godoy) vt liquet in exemplo appofito, inter quòd, & operationem meritoriam, cuius gratia habitualis efl principium tantum phyficum, efl omnimoda fimilitudo.

108 Hinc inferimus contra ipfum Godoy in 3. part. difp. 13. num. 88. eflere fubftantiale hominis non poffe cadere fub merito operum ab ipfo procedentium, neque gratiam auxiliantem, five fufficientem, five efficacem fub merito

rito operis ab eo procedentis, contra ipsum Godoy disp. 50. num. 47. Utraque pars liquet ex dictis. Et prima: tum quia suppositum est principium essentiale, licet non formale meriti. Tum quia vel non potest cadere sub merito de congruo, vel potest cadere de potentia obfoluta sub merito de condigno: quia eadem est de utroque ratio in praesenti, iuxta proximè dicta; sed Godoy asserit ibi non posse cadere sub merito de condigno: ergo nec sub merito de congruo. Secunda liquet: tum quia, ablata gratia habituali, non potest dari verum meritum de congruo. Tum quia gratia saltem efficax est principium physicum essentiale.

§. II.

Argumentorum enodatio.

109 **A**rguitur primò: Principium meriti potest cadere sub merito operis ab eo procedentis: ergo prima gratia habitualis potest cadere sub merito operis ab ea provenientis. Antecedens probatur: nam principium meriti potest dispositivè causari ab actu, cuius est principium physicum essentiale, & formale: ergo etiam potest cadere sub merito illius.

Et confirmatur primò, præcludendo resolutionem communem Thomistarum. Nam potest dari inter duo mutua causalitas in eodem genere causæ subalternae, licet non possit dari in eodem genere causæ inferioris: ut liquet tum in materia prima, & dispositionibus à composito dimanantibus, vna & alijs concurrentibus in eodem genere subalterno causæ materialis, sed materia in genere infimo causæ materialis receptivæ, & dispositiones in genere causæ materialis dispositivæ: tum in Christo, & genere humano concurrentibus in eodem genere causæ finalis, itaut Christus sit causa finalis *causæ gratiæ*, & genus humanum *finis cui*; sed eodem modo fe habent causa efficiens meritoria, & causa efficiens physica: ergo principium meriti ita potest esse principium, & causa physica meriti, quòd possit esse effectus illius in genere causæ moralis.

Confirmatur secundò. Nam sicut meritum petit precedere præmium, ita impetratio rem impetratam; & tamen actus contritionis, estò procedat à gratia, impetrat illam, ut docet Trident. sess. 14. cap. 4. ergo etiam potest illam mereri.

Confirmatur tertio. Licet principium efficiens physicum alicuius actus non possit esse effectus illius in genere causæ physicae efficientis, quia prærequiritur in causa existentia, ad quam dandum termino tendit actus, potest tamen esse terminus illius non vt existentis phy-

sicè, sed præcisè in prævisione, & hac ratione causa efficiens potest dependere à suo actu, seu effectui in genere causæ finalis; sed meritum non causat vt existens physice, sed vt in prævisione tantum: ergo non repugnat, quòd principium meriti sit effectus sui actus in genere causæ meritoria.

Hoc argumentum com omnibus suis confirmationibus, si aliquid probat, suadet etiam, principium essentiale meriti de potentia ordinaria posse cadere sub tali merito, vt recolenti constabit. Respondetur ergo ad argumentum, quòd licet actus meritorius sit sufficiens dispositio gratiæ, seu sui principij effectivi, nequit tamen esse meritum illius. Et ratio disparitatis constat ex dictis in nostra ratione: nam id, quòd procedit ab alio effectivè, abique vilo inconvenienti potest illud causare in diverso genere causæ, vel dispositivæ, vel finalis, & hoc defectò contingit. Caterùm si gratia prima habitualis caderet sub merito actum, quem elicit, esset causa, & effectus in eodem genere infimo causæ: nempe in genere causæ efficientis moralis, vt in ea demonstratum est: & hoc in omnium sententia debet repugnare, sicut quòd aliquid sit causa sui ipsius, maxime in eodem genere causæ efficientis, sive physicae, sive moralis. Quòd vitari non potest, adhuc permisso quòd detur causa meritoria in genere causæ finalis præcisè: quia gratia habitualis tribuit actu meritorio suum valorem per influxum physicum, ratione cuius intransitivè constituitur in genere causæ efficientis moralis: & in hac suppositione actus ab ea procedens non potest influere meritorie, nisi prout ab ea procedit, hoc est in genere causæ efficientis moralis, proindeque esset causa, & effectus in eodem genere causæ inferioris. Per quòd constat ad primam confirmationem.

Ad secundam respondetur primò, Concilium non loqui de impetratione propriè tali, sed de impetratione prout coincidit cum dispositione. Et vt hallucinatio adversariorum appareat, demus verba formalia Concilij: *Fuit autem*, inquit, *quovis tempore ad impetrandum veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*. In quibus verbis non asseritur, quòd ipsa contritio est ipsa impetratio, vt liquet; sed quòd fuit necessaria ad impetrandum, vel consequendum effectum impetrationis, id est orationis. ¶ Secundò potest responderi, Concilium loqui de remissione peccatorum quoad offensam, & non solum quoad culpam: quoad remissionem verò offensæ actus contritionis potest concurrere nedum impetrativè, sed etiam meritorie modo alibi stabilito ex D. Thom. Sed hinc nihil contra nos.

Ad tertiam respondetur, dato, & non concessò, quòd meritum influat præcisè vt prævisum, adhuc non potest prævideri, nisi simul præ-

prævideatur principium, à quo accipit valorem: & ita si meritum vt prævisum non potest esse causa meritoria sui principij prævisi, nec potest esse causa meritoria sui principij vt executi; aliàs etiam posset esse causa sui ipsius, quia esset causa sui principij essentialis, & quòd est causa causæ, est etiam causa causati in eodem genere causæ, vt in præsentì contingeret: & quia sicut meritum vt prævisum est prius principio vt executò, ita est prius seipso vt executò. Diximus dato, & non concessò: quia revera meritum vt tale non influit nisi vt existens in vi decreti executivi, vt latè probavimus, & dicemus tum in argumento seq. tum & in tract. de Incarnat. tanquam in proprio loco.

110 Arguitur secundò. Nam principium meriti non repugnat cadere sub merito, neque ex capite quòd sit prius in existendo, neque ex capite quòd sit principium efficiens physicum illius, neque ex capite quòd sit etiam principium formale, & essentiale: ergo ex nullo capite repugnat, quòd prima gratia habitualis cadat sub merito, quòd elicit. Antecedens probatur quoad singulas partes: & primò quoad primam, quæ facilior: nam plures contractus dantur in humanis, in quibus præmium solet anticipari intuitu laboris futuri, qui verè habet rationem meriti respectu illius. Secundò quoad secundam: nam Rex potest conferre militi equum, & arma, vt illis strenuè pugnet, & in præmium futuræ victoriæ. Et quomodo principium effectivum meriti potest cadere sub merito illo. Tertio quoad tertiam: nam gratia antiquis Patribus data non solum pendeat ex meritis Christi, sed etiam sumpsit ab eis aliquem valorem formalem ad merendum; & tamen meruerunt Incarnationem, & ex consequenti merita ipsa Christi: ergo principium essentiale & formale meriti cadere potest sub tali merito.

Confirmatur. Nam ideo principium essentiale meriti non possit cadere sub merito, quia illi repugnat esse post ipsum meritum; sed hoc non obstat: ergo absolute potest cadere sub merito. Minor probatur: nam actus fidei, & spei, quibus antiqui Patres credebant, & sperabant Christum venturum, tales sunt, vt esse repugnet esse post adventum Christi, suntque merita ipsius: & tamen huiusmodi actus dependebant à meritis Christi: ergo.

Ad argument. respondetur negando antecedens quoad singulas partes. Et ad probationem prioris dic primò, vt supra diximus num. 107. quòd res data ergo priori ad meritum non habet verè rationem præmij, etiam si intuitu illius vt futuri conferatur. Cuius signum est, quòd subiectum non habet plenam dominium illius, viqueque laborem exequatur, itaut si illum non exequitur, teneatur illam reddere ex iustitia ad suum datorem tanquam ad suum verum

dominum. ¶ Dic secundò, aliam rationem esse in gratia, quæ est principium non solum effectivum, sed etiam essentiale meriti: & ita quantum vis non repugnet præmium verè habere rationem præmij pro priori ad meritum illud, respectò cuius præmium ipsum non est principium illius, vel præcisè est principium effectivum, & non essentiale; repugnat tamen, dum est principium effectivum, finis & essentiale, & formale, vt in præsentì contingit. Per quòd constat ad probationem secundæ partis.

111 Pro solutione vltimæ probationis tres modi dicendi sunt notandi. Nam imprimis Scotistæ, negantes operibus à gratia procedentibus valorem intrinsecum, & condignum cum vita æterna, consequenter asserunt valorem meritum confurgere ex meritis Christi saltem inadæquate. Alij, concedentes huiusmodi operibus valorem intrinsecum & condignum independentem a meritis Christi, adhuc admittunt aliquod augmentum, ex eo quòd procedant ex gratia Christi. Ita Suarez in præf. lib. 12. cap. 19. Lorca disp. 47. Caiet. de Fide, & operibus cap. 9. Martinez hic dub. 3. Alij tandem, quibus nos suffragamur, asserunt meritum, cæteris paribus, non esse maius ex eo, quòd dependeat à gratia, & meritis Christi. Ita communiter Theologi tam extra, quam intra Scholam D. Thom. quos refert, & sequitur Serna in præf. num. 1223. Et ratio est: nam supposito contra Scotistas, vt probavimus supra num. 11, quòd valor meritorius, & condignus alicuius præmij debeat esse intrinsecus, & non augeatur in vi talis ex acceptione Dei extrinsecæ, non apparet, quòd gratia nostra, nec merita nostra habeant valorem aliquem intrinsecum per gratiam Christi quem non habeant, dum à Deo solo producitur, si cætera sunt paria: sicut quòd oculus producatur à Deo per generationem, vel restitatur à Christo miraculose, non habet cæteris paribus maiorem aliquam perfectionem intrinsecam. Adde: Nam gratia, & merita Christi tantum extrinsecè se habent ad gratiam, & merita nostra: ergo cæteris paribus non sunt maioris valoris intrinseci, vt dependent ex meritis Christi. Quo prænotato:

Respondetur, quòd permisso nunc, quòd merita antiquorum Patrum pendeant meritorie à meritis Christi, adhuc merita Christi non erant principium essentiale illorum: & propterea non est in meritis Christi tanta repugnantia ad hoc, vt vltiorum possint cadere sub merito Patrum antiquorum, quanta est in gratia prima habituali respectu operis ab ea procedentis, cuius est principium essentiale, & formale, tribuentque ei valorem intrinsecum per suum influxum physicum. Adde: Nam gratis dato, quòd merita Christi, & merita antiquorum Patrum habeant mutuam dependentiam in merendo, adhuc tamen in linea merendi non est in eodem

genere infimo causæ: siquidem modus causandi in meritis Patrum assimilatur causæ efficienti physice; & modus causandi in meritis Christi assimilatur causæ finali: sicut habitus (v. g.) luminis gloriæ specificatur à visione beata; & visio beata à lumine gloriæ; aliter tamen & aliter: nam modus specificandi in lumine gloriæ est intrinsecive per modum causæ efficientis; & in visione per modum causæ finalis. Si autem principium essentialiter meriti caderet sub merito, esset in eodem genere causæ infimo adhuc in linea merendi; quod implicationem metaphysicam impoſtat.

112 Arguitur tertio, & vicimo. Nam ultima dispositio connaturalis ad primam gratiam habitualem, v. g. actus charitatis, meretur primam gloriam essentialiter: ergo etiam ipsam primam gratiam habitualem. Antecedens est D. Thom. 1. 2. quæst. 112. art. 2. ad 1. & constat ex Trid. sess. 6. can. 32. ubi ait: *Siquis dixerit, insufficientium bonis operibus non verè mereri augmentum gratiæ, vitam eternam, & ipsius vitæ eternæ, si tamen in gratia decesserit, consequentiam, atque gloriæ augmentum, anatema sit.* Ubi aperte distinguit inter primam gloriam, & augmentum illius, & cum ultima dispositio, v. g. actus charitatis, sit primus actus, & essentialiter meritorius, & per opera subsequenter mercatur iustus augmentum gratiæ, & consequenter augmentum gloriæ, planum est prædictam dispositionem esse meritoriam primæ gloriæ.

Consequentia verò probatur: tum quia gratia, & gloria sibi invicem correspondent, itaut prima gloria respondeat primæ gratiæ, & secunda secunda: ergo actus, quos iustus meretur primam gloriam, meretur etiam primam gratiam: Tum etiam: quia ita se habet prima gratia cum prima gloria, sicut augmentum gratiæ cum augmento gloriæ; sed per actum, quo iustus meretur augmentum gloriæ, meretur etiam augmentum gratiæ tanquam præmium intermedium, vt docet D. Thom. infra art. 8. ad 1. ergo etiam prima gratia est præmium intermedium primi actus meritorij, sicut ultima dispositio.

Propter hoc argumentum aliqui docent, primam gloriam non cadere sub merito de condigno, sed correspondere primæ gratiæ per modum hereditatis. Ita Vega, Lorca, Lugo que relatus à Serna. Sed hi Authores manifestè agunt contra Trident. suprâ relatum: unde hic modus dicendi communiter rejicitur à Theologis saltem tanquam improbabilis. Alij dicunt, ultimam dispositionem mereri primam gloriam, non pro primo instanti, sed pro posteriori ratione continuationis. Ita Bellar. Hurt. & Ovied. citati ab eodem Serna. Sed nec hic modus potest sustineri. Tum quia actus ultimò disponens in primo instanti est liber, procedens à gratia, vt debet sup-

poni, & hac ratione condignus vitæ æternæ. Tum, quia vt continuatur, seu in secundo instanti est meritorius augmenti gratiæ: ergo & augmenti gloriæ. Tum denique: quia potest durare præcisè pro primo instanti, in quo homo iustificatur, & elicitur à gratia: ergo absolute non meretur primam gloriam; vel meretur illam in illo primo instanti. Reiectis ergo his modis dicendi:

Respondetur, hoc argumentum imprimis suadere, si habet aliquam vim, iustum defectò mereri primam gratiam, sicut defectò meretur primam gloriam: & quia defectò meretur augmentum gloriæ, defectò etiam meretur augmentum gratiæ: quod nullus ex adversarijs concedit. Deinde dicimus cum tota Schola Thomistica, necnon cum Stario, Vazquez, Valentia, Granados, & cæteris Theologis, primam gloriam cadere sub merito ultimæ dispositionis, vt procedentis in primo instanti iustificationis à gratia, vel ab ea intrinsecè condignificata. Et neganda est consequentia: nam, vt inquit D. Thom. loco suprâ relato, *talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiæ quæ iam habetur, sed gloriæ quæ nondum habetur.* Et ad primam consequentiam probationem respondetur, non repugnare quòd prima gloria duplici titulo debeat, & titulo hereditatis rationi gratiæ, & titulo iustitiæ ratione ultimæ dispositionis meritoria: sicut gloria corporis debita fuit Christo & titulo connaturalitatis, quia est proprietas visionis & connaturaliter dimanat ab ea, & titulo meritorio. Ad secundam respondetur, esse notam disparitatem inter augmentum gratiæ, & primam gratiam: nam meritum augmenti gratiæ non supponit ipsum augmentum, & supponit principium merendi omnino independentem ab eo, nempe gratiam secundum se cum auxilio: ideoque iustus ita meretur augmentum gloriæ, quòd etiam possit mereri augmentum gratiæ. Caterum, vt inquit D. Thom. ultima dispositio supponit primam gratiam vt sui principium, à quo essentialiter dependet, & supponitur ad primam gloriam, & hac ratione potest mereri primam gloriam, & non potest mereri primam gratiam.

DUBIUM VII.

Utrum iustus possit de condigno mereri primam gratiam alteri

Gratia habitualis tripliciter potest considerari, vel per ordinem ad hominem non peccatorem, qualis esset homo in statu purorum conditus: vel relatè ad hominem reduplicativè vt peccatorem, quo pacto affert remissionem culpæ, & offensæ; vel secundum se, & præcisive à remissione culpæ, & offensæ. Sub hac triplici consideratione procedit controversia.

Dub. VII. Utrum iustus possit de condigno mereri alteri primam &c.

Similiter iustus potest considerari secundum præsentem providentiam, vel per ordinem ad potentiam Dei absolutam. Et vt certa ab incertis separantur, & remaneat sub controversia id tantum, quod subiecit difficultati:

113 Supponendum est primò, iustum defectò non posse mereri de condigno alteri primam gratiam nisi solus Christus. Ita omnes Theologi cum D. Thom. in præf. art. 6. ubi hanc rem expressè tractat sub ferè eodem titulo proposito. Et ratio illius est: *Quia unusquisque nostrum movetur à Deo per donum gratiæ, vt ipse ad vitam eternam proveniat; sed meritum condignum ultra hanc motionem nequit se extendere, quia per augmentum gratiæ, vitam eternam, & augmentum illius ipsi merenti communicatum merita illius manent condignè, & adequatè remunerata: ergo defectò, sed iuxta præsentem providentiam iustus non potest mereri alteri de condigno gratiam habitualem. Patet consequentia: quia talis gratia est extra extensionem adæquatam talis meriti. In Christo est dispar ratio: tum quia non motus est à Deo, vt sibi mereretur augmentum gratiæ, & gloriam essentialem, vt supponimus, sed tantum vt alios ad eam perduceret, quatenus constitutus est caput Ecclesiæ, & auctor salutis humanæ, secundum illud ad Hebr. 2. *qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis &c.* Tum etiam: quia meritum Christi fuit simpliciter infinitum: ergo quamvis sibi meruisset gloriam essentialem, adhuc potuisset nobis mereri gratiam, & gloriam. Patet consequentia: quia tale præmium esset simpliciter finitum, iuxta dicta num. 6. ideoque meritum illius non fuisset adequatè remuneratum.*

Confirmatur. Nam ad meritum de condigno respectu aliorum ultra valorem requiritur pactum Dei, quo merens constituitur caput morale eorum; sed neque ex Scriptura, neque aliunde constat dari huiusmodi pactum, quo aliqua pura creatura constituta sit caput morale aliorum, sed solus Christus: ergo.

114 Obijcies primò: Unus homo potest pro altero de condigno satisfacere saltem pro peccato veniali, vt tenent communiter Theologi: ergo etiam potest mereri de condigno primam gratiam, vel augmentum illius. Patet consequentia: quia non plus requiritur ad vnum, quam ad aliud. ¶ *Secundò*: Nam si Adamus non peccasset, condignè mereretur suis posteris gratiam originalem, sicut peccando meruit ipsis privationem illius, & penalitatis ei annexas; sed iuxta præsentem providentiam Adamus potuit non peccare: ergo.

Ad primam obiectionem respondetur, quòd iustus non potest satisfacere de condigno nec pro peccato mortali alterius, nec pro illo existente in peccato mortali; sicut non potest

homini existenti in peccato mortali mereri de condigno vitam eternam, neque potest satisfacere pro se, & simul pro alio: neque potest satisfacere iuxta providentiam ordinariam pro debito primario peccati venialis. Unde solum potest alteri iusto suam satisfactionem offerre pro pena temporali, sicut præter meritum vitæ æternæ potest suam actionem applicare pro pena temporali à se debita. Unde consequentia est nulla. Omnia hæc, si placet, possunt videri apud NN. Salm. tract. 24. disp. 10. dub. 2. per tot. ubi optime, vt solent, explicant mentem D. Thom. & doctrinam traditam in Supplement. quæst. 13. art. 2.

Ad secundam accuratè respondent NN. Salmant. tract. 13. disp. 14. à num. 126. distinguentes mira subtilitate inter *mereri pro altero*, & *mereri alteri*, quatenus non sunt omnino idem: nam *mereri alteri* solum denotat, quòd præmium merenti debitum conferatur alteri ex gratia, & vt præmium merentis. Sed *mereri pro altero* significat, quòd meritum vnius vt tale transeat ad alterum, itaut iste etiam mereri dicatur. Et imprimis docent, nullum adhuc de potentia Dei absoluta posse mereri pro altero: quia meritum est actio immanens & vitalis, quæ non post exerceri per alterum. Et certè, si hoc esset possibile, non denegaretur Christo saltem pro Deipara, quam eximie honorare oportebat. Deinde dicunt, quòd Adamus, si non peccasset, iuxta præsentem providentiam meruisset de congruo nobis gratiam originalem, quia iustus defectò meretur de congruo alteri sive iusto, sive peccatori plura dona supernaturalia, & defectò Adamus meruit de congruo Incarnationem.

Præterea addunt, Adamum neque gratiam, neque aliud donum supernaturalis fore de condigno nobis meritum: quia oportebat, quòd solus Christus esset caput nostrum in ordine gratiæ. Et tandem tradunt disparitatem inter meritum, & demeritum, vt Adamus verè dicatur caput nostrum ad demerendum, & non ad merendum. Disparitas ergo est, quia Adamus non potuit sibi mereri iustitiam originalem, nec conservationem illius, iuxta infra dicenda, & hac ratione non decessit saltem de potentia ordinaria constitui caput morale ad merendum nobis de condigno gratiam habitualem. Unde observatio legis in Adamo tantum fuit conditio ad hoc, vt prædicta gratia transfunderetur posteris. At defectò demeruit sibi ipsam iustitiam originalem, sicut qui libet moraliter peccans: ideoque, atenta providentia ordinaria, potuit constitui caput morale, in quo omnes eam demererentur. Et hæc diversitas decet tum bonitatem, tum iustitiam divinam: quia ea dona, quæ, quia bonus, sine meritis confert; quia iustus non sine demeritis

anfert: iuxta illud Trid. sess. 6. cap. 11. ubi ait, quod gratia sua semel iustificatos non deserit, nisi prius deferatur a nobis.

115 Supponendum est secundò, iustum posse iuxta presentem providentiam de congruo mereri alteri sive peccatori, sive non peccatori gratiam habitualement, cuius meritum haberet infallibilem connexionem cum ea, si adesset promissio: quia Deus fidelis est. Obiervat tamen D. Thom. quod hoc meritum congruum non impetrat infallibiliter alijs gratiam propter impedimentum peccati non solum habituale, vt supponitur, sed etiam actualis contenti in proposito efficaci perseverandi, seu in voluntate efficaci perpetrandi alia plura: & propter infirmitatem iudicia divinæ prædestinationis, & reprobationis.

Sed præcipua pars huius suppositionis probari potest primò ex testimonio sacre scripturæ contentis in argumentis huius art. quæ videri debent. ¶ *Secundò*. Quia homo in gratia constitutus est amicus Dei, & adimplet voluntatem illius; sed congruum est secundum leges, & proportionem amicitie, vt etiam Deus impleat voluntatem sui amici in iustificatione, & salvatione alterius: ergo iustus potest defacto mereri de congruo alteri adhuc peccatori gratiam habitualement. ¶ Et confirmatur. Nam, vt supra insinuavimus, Patres antiqui, & maxime Deipara meruerunt de congruo Incarnationem: ergo potiori titulo iustus potest alteri mereri primam gratiam: quia hæc in peccatore non est tanta æstimabilitatis, quantæ est Incarnatio. *Adde*: Nam in acceptione communi fidelium Deus motus ex oratione S. Stephani tanquam merito de congruo convertit Saulum, & Augustinum precibus, & lachrymis Monicæ.

Notare tamen oportet, quod iustus mereus alijs de congruo gratiam, aut alia dona, non detrahit sibi aliquid de premio essentiali tali merito alijs correspondenti secundum se, licet privetur aliquo premio accidentali: quod non est contra suam providentiam Dei defraudare aliquem premio accidentali ob salutem alterius, maxime si inde augeatur ei maius meritum essentiali, vt revera augeatur propter actum charitatis. Pro quo videatur D. Thom. in Supplem. quest. 13. art. 2. ad 3. His ita suppositis; solum procedit hæc controversia, quoad illa tria in limine recensita, iuxta potentiam Dei absolutam.

Circa quam triplex militat sententia. *Prima* docet, iustum de potentia Dei absolutam posse de condigno mereri alteri, sive peccatori, sive non peccatori primam gratiam habitualement. Ita Ioannes à S. Thom. in præf. disp. 31. art. 2. & 3. part. disp. 1. art. 2. Godoy 3. part. disp. 2. §. 8. Gonet in præf. disp. 2. num. 198. & plures alij tam extra, quam intra Scholam Div.

Thom. *Secundò* negat, posse iustum mereri de condigno alteri sive peccatori, sive non peccatori primam gratiam, aut alia dona. Ita Vazquez in 3. part. disp. 4. & alij socij, necnon Gregorius Martinez in præf. cum alijs Thomistis, in quam inclinatur Sena, loquendo de potentia absoluta, in præf. §. *Prima conclusio*, & NN. Salmant. tract. 13. disp. 14. num. 130. de potentia ordinaria, licet vltimum iudicium ad hunc locum remittant, interim probabilitatem vtriusque sustinentes. Possunt tamen exponi de gratia danda peccatori. *Tertio* via media procedit concedens, quod potest de condigno mereri primam gratiam non peccatori, sed verò peccatori. Ita NN. Salmant. in præf. disp. 6. dub. 2. cum pluribus alijs tam domesticis, quam extraneis ab eis relatis. Et in hac adhuc divisi sunt: nam quidam docent, quod licet iustus non possit peccatori mereri primam gratiam, secundum totum quod asserti, potest tamen illam mereri inadæquate. Alij dicunt, quod nec inadæquate potest illam mereri de condigno. Nos verò mentem nostram triplici assertionem aperiemus.

§. I.

Prima assertio contra primam sententiam.

116 **D**icendum est primò, contra primam sententiam, iustum non posse de condigno mereri peccatori adhuc de potentia absoluta primam gratiam habitualement, saltem adæquate sumptam. Hæc assertio procedit contra Authores primæ sententiæ. Et probatur ratione fundamentali: nam ad meritum condignum essentialiter requiritur in merito æqualis valor intrinsecus cum præmio; sed opus meritorium cuiusvis iusti quantumvis sancti, si est purus homo, non est æqualis valoris cum gratia peccatori danda adæquate sumpta: ergo non potest de condigno adhuc de potentia absoluta mereri peccatori gratiam habitualement adæquate sumptam. Minor probatur: nam gratia habituale peccatori danda inter alia importat remissionem offensæ divinæ gravis; sed nullum opus meritorium hominis puri potest esse æqualis valoris cum gratia, prout importat remissionem offensæ divinæ gravis: ergo non potest esse æqualis valoris cum gratia peccatori danda adæquate sumpta. Minor probatur: quia remissio offensæ est æqualis in valore, & moralis æstimatione cum gravitate offensæ; sed nullum opus meritorium hominis puri potest esse æqualis valoris cum gravitate offensæ: ergo nec cum gratia prout importat remissionem offensæ. Maior est certa, quia contrariorum eadem est ratio. Minor probatur: tum quia gravitas offensæ in æstimatione moralis est simpliciter

ter infinita, vt supponimus adhuc cum adversarijs, meritum verò puræ creaturæ est simpliciter finitum; sed meritum finitum non potest esse in æstimatione moralis æqualis valoris cum gravitate infinita: ergo nullum opus puræ creaturæ potest esse æqualis valoris cum gravitate offensæ divinæ gravis. Tum etiam: nam propter hanc rationem purus homo non potest ad æqualitatem satisfacere pro offensæ peccati mortalis, vt teneatur adversarij: ergo idem quod prius.

117 Huic rationi respondet Godoy loco relato num. 71. verum esse, quod si meritum puræ creaturæ terminaretur persè primò, & directè ad remissionem offensæ, non esset æqualis valoris cum illa in æstimatione moralis. At non ita accideret in eo, qui mereretur primam gratiam peccatori: siquidem ad entitatem gratiæ terminaretur persè primò; ad remissionem verò offensæ tantum secundariò, & per impossibilitatem gratiæ cum peccato & offensæ. Et quando res ita accidit, meritum, quod habet æqualem valorem cum gratia secundum se, etiam habet æqualem valorem cum remissione offensæ; alijs ipsa gratia vt remittens offensam haberet infinitas vires, & posset opera puri hominis infinite condignificare. Et hæc est ratio, cur non possit purus homo satisfacere ad æqualitatem pro offensæ, etò possit remissionem illius mereri de condigno: quia satisfactio petit tendere persè primo & directè ad illam, ideoque debet esse æqualis valoris cum gravitate offensæ, meritum verò solum tendit directè ad gratiam, & secundariò per quandam impossibilitatem ad remissionem offensæ, & hac ratione remissio offensæ in ratione termini meriti non dicit gravitatem infinitam.

Sed hæc evasio, quæ suam apparentiam habet, multipliciter refellitur. Primò: nam dato, & non concesso, quod iustus non mereatur primariò remissionem offensæ, dum meretur gratiam; non tamen potest negari, quod verè mereretur remissionem offensæ, dum mereretur gratiam dandam peccatori, vt supponit sententia contraria; sed opus de condigno meritorium verè & propriè terminatum ad remissionem offensæ petit esse æqualis valoris cum illa, ac si terminaretur persè primò ad eam: ergo si opus meritorium hominis puri, vt terminatum persè primò ad remissionem offensæ, nequit esse æqualis valoris cum ea, neque erit vt terminatum ad eam verè & propriè, etsi secundariò. Minor probatur: tum quia, si verè & propriè meretur remissionem offensæ, debet ordinare efficaciter opus meritorium ad eam; sed si ordinatur efficaciter ad remissionem offensæ, debet esse non minoris valoris, ac si terminaretur persè primò: nam, supposita directione efficaci, præcédens omnino est, quod meritum terminetur persè primò, aut secunda-

rio. Tum etiam (per quod præcedens probatio magis explicatur) nam intendens efficaciter mereri de condigno aliquod complexum, debet præstare opus æqualis valoris cum illo, & singulis partibus, licet in eis merendis procedat ordine quoddam, vt inductive constat: ergo si opus meritorium tendit ex directione efficaci, etò ordine quodam, ad gratiam prout asserti remissionem offensæ, non debet esse minoris valoris, ac si persè primò terminaretur ad ipsam. Tum præterea: nam eo ipso, quod verè & propriè meretur remissionem offensæ, habet hæc verè & propriè rationem præmij: ergo non explicat præcisè æstimabilitatem illam, quæ continetur in gratia, sed etiam illam quam habet ex se: ergo meritum illius debet esse æqualis valoris, sive terminetur primariò, sive secundariò. Tum denique: nam in physicis æqualis virtus requiritur ad producendum effectum sive secundariò, sive primariò: & ita virtus, quæ non potest producere principaliter effectum secundarium, v. g. substantiam, nec potest producere vltimam dispositionem vitalem, ex qua resultat: ergo pariter æqualis valor requiritur ad merendum persè secundariò remissionem offensæ, ac ad merendam illam primariò: & similiter, si valor infinitus requiritur ad merendam persè primò remissionem offensæ, valor etiam infinitus requiritur ad merendam gratiam, vt reduplicative inducit remissionem offensæ.

Adde primò. Nam quia Deus nequit producere formale peccati, nec potest producere in sententia Godoy materiale, vt connexum cum formali: ergo si iustus persè primò non potest mereri de condigno remissionem offensæ, nec poterit mereri de condigno gratiam vt inferentem remissionem offensæ. ¶ Adde secundò: nam B. Virgo de potentia absoluta vel potuit mereri de condigno maternitatem Dei, vel non potuit illam mereri? Quodcumque dicat Godoy, est contra solutionem datam: nam si illam potuit mereri, non ob hoc mereri potuit Incarnationem (cum qua connectitur) nec primariò, nec secundariò: ergo pariter, si remissio offensæ in se est gravitatis infinite simpliciter, non potest iustus illam de condigno mereri, etò mereretur de condigno gratiam connexam cum ea. Si non potuit illam mereri ideo est, quia est connexa cum Incarnatione, quam non potest mereri de condigno sive primariò, sive secundariò; sed eadem ratio militat in gratia vt connexa cum remissione offensæ, ergo.

118 Secundò refellitur evasio: Nam remissio offensæ, quamvis physicè sit effectus secundarius gratiæ, si tamen est verè & propriè præmium, etiam, intenditur persè primò à merente, immo & principalis; sed per te iustus non potest mereri persè primò remissionem